

# DE BELLO TROIANO

## 1. Los orígenes de la guerra:

1. Antiquis temporibus, Menelaus rex cum Helena uxore in Sparta vitam agebat. 2. Olim Paris, Priami filius, Spartam venit ibique Menelai hospes fuit. 3. Paris autem Helenam, mulierem pulcherrimam, rapuit et cum ea celeriter Troiam rediit. 4. Itaque omnes Graeciae reges constituerunt cum Troianis bellum gerere et Menelao uxorem reddere. 5. Naves multas celerrime paraverunt et in portum Aulidem convenerunt. 6. Toti classi praeerat Agamemnon, Menelai frater atque rex Mycenarum.

## 2. La cólera de Diana:

1. Diu adversi venti Graecos in portu Aulide retinuerunt. 2. Tum Agamemnon Calchantem interrogavit, isque regi respondit 3. «Diana dea tibi irata est, quod cervam eius sacram in silva vulneravisti. 4. Itaque adversos ventos movet. 5. Cum autem filiam tuam Iphigeniam deae immolaveris, tunc classis e portu exire et Troiae litus petere poterit.» 6. Calchantis verba Agamemnon magnum dolorem fecerunt, nam filia ei cara erat. 7. Agamemnon tamen deae paruit. 8. Regis iussu, Ulixes Mycenae properavit et puellae dixit: 9. «Noli in domo manere; celeriter veni Aulidem; ibi Achilles, pulcher juvenis et dux fortis, te uxorem ducet.»

## 3. El sacrificio de Ifigenia:

1. Iphigenia, Ulixis verbis credens, cum Clytaemnestra matre Aulidem venit. 2. Propinqua vero puellae mors omnes Graecos vehementer movebat. 3. Nec tamen Iphigeniae dolor, nec Clytaemnestrae preces, neque Achillis ira superbum regem vincere potuit: pater filiam ad aram duxit. 4. Iam sacerdos ferrum in manu habet, mox miseram Iphigeniam immolabit. 5. Eodem autem tempore Diana pro puella ante aram cervam collocavit. 6. Ita Agamemnon non Iphigeniam, sed cervam immolavit. 7. Tunc Graecorum classis Asiam petere potuit. 8. Iphigeniam autem dea in Chersonesum Tauricam duxit. 9. Ibi sacerdos fuit in deae templo.

## 4. Los combates delante de Troya:

1. In campo, inter mare et oppidum Troiam, omnes fortiter pugnabant. 2. Graeci et Troiani fortes milites eorumque duces periti erant. 3. Achilles autem ceteros Graecos virtutis fama superabat. 4. Troiani vero omnem spem in Hectore, Priami filio, habebant. 5. Duorum virorum facta Homerus poeta nobis narravit. 6. Olim Achilles, quod Agamemnoni iratus erat, pugnae non interfuit; Graeci magnam cladem acceperunt. 7. Hostes usque ad Graecorum naves, quas nautae in litus traxerant, clam venerunt earumque partem igne deleverunt. 8. Unus ex Achillis comitibus, Patroclus, hostes pellere potuit; Hector autem eum in acie interfecit. 9. Tum Achilles cum Hectore pugnare constituit.

## 5. La muerte de Héctor:

1. Achilles cum omnibus Graecis adversus hostes processit. 2. Troiani in oppidum fugerunt; solus Hector pro moenibus manserat et Achillem fortiter exspectabat. 3. Tamen, quod Achillis vim sustinere non potuit, circum urbem mox fugit. 4. Achilles vero eum interficere potuit. 5. Hectoris corpori non pepercit: eius enim pedes ad currum alligavit corpusque ante Troianorum oculos in pulvere traxit. 6. Quis dicere poterit patris et matris et uxoris et omnium Troianorum dolorem? 7. Postridie Priamus rex in Graecorum castra venit et Achillem movere potuit; is Hectoris corpus misero seni reddidit.

## 6. El caballo de madera:

1. Graeci tamen urbem Troiam non ceperant. 2. Tunc Ulixes, Ithacae rex, vir callidus, fraudem invenit. 3. Milites, Ulixis iussu, equum ligneum fecerunt. 4. Equus tam altus erat quam collis, tam latus quam navis. 5. Fortes duces, Ulixes et Menelaus et Pyrrhus, Achillis filius, in eum ingentem equum intravere. 6. Tum ceteri Graeci in naves conscenderunt ac propinquam insulam petiverunt. 7. Equum autem in Troiae litore reliquere. 8. Mane Troiani, hostium classem non iam videntes, sine metu ex oppido in campum exierunt. 9. Magna erat eorum laetitia: nonne Graeci post tam multos annos abierant?

7. El éxito de la estratagema:

1. Plurimi Troiani cupiebant tam mirum equum in oppidum trahere, quod eorum admirationem movebat. 2. Laocoon tamen sacerdos atque Cassandra, Priami filia, eos ita monuerunt. 3. « Nolite id facere; timete Graecorum donum. » 4. Troiani nec Laocoontis nec Cassandreae verba crediderunt, sed equum in oppidum ad Minervae templum traxerunt. 5. Media autem nocte, milites graeci ex equo exierunt. 6. Ad oppidi custodes clam processerunt eosque celeriter interfecerunt. 7. Iam Graecorum classis ad Troiae litus redierat; milites, de navibus exeuntes, per campum urbem petierunt. 8. Ulixes autem eiusque comites portas aperuere; ita Graecorum exercitus in urbem invasit.

8. La destrucción de Troya.

1. Graeci non tantum viros, sed etiam mulieres et senes et infantes sine misericordia necaverunt. 2. Pyrrhus, Achillis filius, in Priami domum in primis intravit ibique senem interfecit. 3. Tandem milites victores omnes urbis domos, etiam sacra templa incenderunt. 4. Ita antiquam urbem, quae diu omnium admirationem moverat, deleverunt. 5. Arbore in eo loco creverunt ubi fuerant alta Troiae moenia. 6. Solus e ducibus troianis, Aeneas cum patre et filio et paucis comitibus saevam mortem effugere potuit. 7. Postea ad Italiae litus pervenit ibique urbem condidit: eius incolae Romanorum maiores fuerunt.

Vocabularios online:

<https://sites.google.com/site/vocabulariolatino/home>

Ficha con los demostrativos declinados:

<http://almacen.iesealarcos.es/Clasicas/Primer%20Bachiller/14b%20demostrativos.pdf>

Vocabulario que el/la alumno/a debe aprender (no volverá aparecer en el vocabulario de los exámenes).

### Conjunciones

Autem.- sin embargo.

Tamen.- por el contrario/sin embargo.

Et/atque/ac/-que.- y.

Sed.- pero/sino que.

Nec/neque.- ni.

At.- pero.

Cum.- con indicativo > cuando; con subjuntivo > como/puesto que.

Nam.- pues.

### Advverbios

Ibi.- allí/entonces.

Ita.- así.

Tum.- después/a continuación.

Tunc.- entonces.

### Preposiciones

In.- con acusativo > a/hacia(interior); con ablativo > en.

Ad.- con acusativo > a/hacia(exterior).

e/ex.- con ablativo > de/desde (interior).

a/ab.- con ablativo > de/desde(exterior).

Cum.- con ablativo > con.

Inter.- con acusativo > entre.

Sustantivos

Adjetivos

Verbos

Todos los usados como ejemplo.